Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31650
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

maxime que servata miseros faciunt. Non enim observarent, nisi afferrent salutem. Neque enim indifferentia sunt, inter bonum et malum, sicut philosophi putant. Bonum est continentia. malum est luxuria. Inter utrumque indifferens, ambulare, digerere alvi stercora, capitis naribus purgamenta proicere. sputis reumata iacere. hoc est nec bonum nec malum est. Sive enim feceris sive non feceris, nec iustitiam habebis nec iniusticiam. Observare autem legis cerimonias, non potest esse indifferens. sed aut bonum est aut malum. Tu dicis bonum. ego assero malum. et malum non solum his qui ex gentibus, sed his qui ex iudaico populo crediderunt. In hoc ni fallor loco, dum aliud vitas. ad aliud devolveris. Dum enim porphirium metuis blasphemantem, in ebionis incurris laqueos his qui credunt ex iudeis observandam legem esse decernens. Et quia periculosum intellegis esse quod dicis. rursum illud superfluis verbis temperare conaris. sine ulla salutis necessitate. sicut iudei celebranda putant, aut fallaci simulatione quod in petro reprehenderat. Petrus igitur simulavit legis custodiam. iste autem reprehensor petri audacter observavit legitima. Sequitur enim in epistola tua. Nam si propterea illa sacramenta celebravit. quod simulavit se iudeum ut iudeos lucrifaceret. cur non et sacrificavit cum gentibus. quoniam et his qui sine lege erant. tamquam sine lege factus est. ut eos quoque lucrifaceret. nisi quod et illud fecit ut natura iudeus. Et hoc totum dixit non ut paulus se fingeret esse quod non erat. sed ut misericorditer ita subveniendum esse sentiret. ac si ipse in eo errore laboraret. non scilicet mentientis astu. sed compatientis affectu. Bene defendis paulum, quod non simulaverit errorem iudeorum, sed vere fuerit in errore. neque imitari petrum voluerit mentientem, ut quod erat metu iudeorum dissimularet. sed tota libertate iudeum sese diceret. Novam clementiam apostoli. dum iudeos christianos vult facere. ipse iudeus factus est. Non enim poterat luxuriosos ad frugalitatem deducere. nisi se luxuriosum esse probasset. et misericorditer ut ipse dicis subvenire miseris. nisi se miserum ipse sentiret. Vere enim miselli et misericorditer deplorandi. qui contentione sua et amore legis abolite, apostolum christi fecere iudeum. Nec multum interest inter meam et tuam sententiam. quoniam ego dico petrum et paulum timore fidelium iudeorum legis exercuisse immo simulasse mandata. tu autem asseris. hoc eos fecisse clementer. non mentientis astu, sed compatientis affectu. dummodo illud constet ut metu vel misericordia eos simulasse quod non erant. Illud autem argumentum quo adversum nos uteris, quod et gentibus debuerat gentilis fieri. si iudeis iudeus factus est. magis pro nobis facit. Sicut enim non fuit vere iudeus, nec gentilis erat. et sicut non fuit vere gentilis. sic neque vere iudeus erat. Ideo autem imitator gentilium est. quoniam preputium recipit in fide christi. et indifferenter permittit vesci cibis quos damnant iudei. non cultu ut putas idolorum. In christo ihesu nec circumcisio est aliquid, nec preputium. sed observatio mandatorum dei. Queso igitur te et iterum atque iterum obsecro, ut ignoscas dis-